



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Tractatus XI. De examine Conscientiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

QVARTVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ.

Legitimè in acta inquirere.

TRACTATUS XI.  
DE CONSCIENTIÆ EXAMINE  
QVOTIDIANO, ET SACRAMENTALI.

Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum  
& non sum locutus. Cogitavi dies antiquos,  
& annos æternos in mente habui, & medi-  
tatus sum nocte cum corde meo, & exerci-  
tabar, & scopebam spiritum meum. *Psalm.*  
76. v. 5. 6. 7.

*Quo jure examen præterite vitæ, & in quem finem, Conscientiæ  
competat. Quomodò instituendum sit examen tam quotidiana-  
num, quàm quòd sacræ Confessioni præmittitur. Seuerissi-  
mè, non tamen anxie inquirendum esse quid actum sit. Cùm  
moderatione verò de actis esse judicandum; præsertim dubiis.*

P R O O E M I V M.



uartum Conscientiæ munus aggredior, illudque lon-  
gè amplissimum. Disquisitionis id jus est; quo non  
tantùm ream criminis animam datum est in ipso  
scelere apprehendere, apprehensamque quasi torturæ  
pro re malè actâ, vt ad mentem veniat, subicere, prout præce-  
denti

denti Tractatu exposuimus: Verùm & in omnes omninò facinorosa voluntatis actiones inquisitio demandatur: sic vt nullum, non dico opus aut scelus hominum oculis manifestum, sed ne recondita quidem cogitationes, si peruersa sint, eius iurisdictioni subtrahantur. Omnia & singula discutere & in jus vocare legitime, cum libet, potest; imò debet, etiam dum non libet. Quo iure tanta Conscientiæ in hominem competat iurisdictionis, & in quem finem à supremo orbis vniuersi Domino & iudice, ei sit concessa, illicò primo loco videbimus. Explicabimus deinde quâ ratione instituenda hæc sit, legitima vt sit actio. Quòd quidem duplici capite comprehenditur. *Primò*, quidem vt examen seuerum sit, nullique actioni quæ criminis suspecta sit, latebras concedat aut ferias; omnia discutienda sunt, & ad Diuinas leges expendenda. *Secundò* autem, ne nimia seueritate examinis peccetur, prudenter instituendum est; sic vt de crimine per suspensiones nihil, nihil etiam per auxesim nimiamque importunitatem exaggeretur; sed crimen ipsum exponatur prout est. Hæc quo conficienda sint modo, & cætera omnia, quæ serium & non scrupulosum aut anxium Conscientiæ examen constituunt, Deo dante, nunc explicabimus.

## §. I.

*Ius inquirendi in omnes Anima actiones, vndenam Conscientiæ competat; & in quem usum.*

- I. **T**urbata imò perdita dum res est domi; reus in ipso scelere deprehensus, crimen manifestum, iratus Deus; sanè tum non sufficit Conscientiam indignitate rei offensam excandescere, minas intendere, facti atrociam exprobrare, variisque stimulis peccantem animam exercere. Nam si Pædagogum munere Conscientia fungitur; certè si cliens Pædagogi curæ commissus egerit petulantius, Patremque immodeste offenderit; officio suo non facit satis, si pueri dissolutos mores reprehenderit, & verò etiam castigarit: ad patrem sanè deducendus est filius immorigerus, vrgendus vt veniam delicti petat, & procuranda omnimodis interruptæ beneuolentiæ redintegratio. Hoc itaque nunc agendum

*Conscientia  
incumbit  
peccantem  
voluntati  
ad Deum  
reducere.*

dum est Conscientiæ, animæ Pædagogò. Nihil enim quidquam egerit iis quos admouit stimulis, nisi tandem eò duxerit reluctantem animam, vt ferocitate depositâ, offensum Deum supplex adeat, facinoris noxam deprecetur, amissam Patris gratiam rursus impetret, iudicisque in se iustissimè concitatam iracundiam prorsus exoret. Restauranda est igitur malè fracta pax; omnes reconciliationis quærendæ sunt viæ, vt turbæ cessent domi, suaque redeat animæ tranquillitas.

*à Conscientia debet fieri criminum confessio, vt sit legitima.*

Istud autem est admodum admirabile; quòd cum totus cardo rei in hoc verferetur, vt pœnitenti scelusque suum confitenti, criminis à Deo fiat gratia; & rursus, quamuis naturâ suâ in misericordiam adeo sit implicatus Deus, vt nihil tantopere exoptet, quàm gratiam præstare peccatori scelerum pœnitenti; nihilominus eam plenè non velit tribuere, nisi prius Conscientiæ factum sit satis. Quid ergo agendum inquires? an Conscientiæ meæ debeo supplex fieri, eamque deprecari? Minimè id quidem; à Deo etenim concedenda est scelerum gratia. Non autem conceditur, nisi declarentur, illudque constet quæ tandem sint crimina quorum pœnitet, & quorum gratia postulatur. An non inquires Deo manifesta sunt omnia? sunt enim uerò; sed Majestatis eius interest, vt peccator qui per arrogantiam euanuit Deumque contempsit, animos nunc deprimat, seseque submittat: quod quidem facinorum confessione conuenienter fit, & iustè. Etenim quæ potest dari minor honoris Deo detracti reparatio, quàm vt reus crimen admissum fateatur? Fatebitur reus inquires, peccatorem se dicet, facti hominem pœnitebit. Bene isthæc omnia: non tamen gratiæ impetrandæ adhuc sufficit, generatim illa, aut etiam particulatim sic quasi projectim & tumultuariò effundere. Quid ergo deinceps exigitur? Hoc nunc ago. Ordinatam, juridicalem, & legitimam confessionem criminis esse necesse est. Ut autem sit legitima, totam rei disquisitionem ad Conscientiæ domesticum tribunal amandauit Deus. Isthic vult factum examinari, momenta facinoris expendi, totam causam instrui, meritaque criminis iudicari, antequam legitimè gratia concedatur.

*DAMPTATIO.*

Et quidem prudenti sanè id consilio magnâque æquitatè requirit Deus; vt sic, dum constat quid peccarit reus ac proinde quid sit meritus; exinde etiam dum constat quantæ rei facta sit gratia,

2.

3.

gratia, peccator eam majoris faciat, benefactorique suo Deo non tantum prolixiores grates habeat, sed & impensius liberaliusque, pro re male actâ, obsequium præstet.

4. Neque verò hanc agendi rationem, multum video abludere, ab eâ, quam in Principum Regumque subselliis video obseruari. Istud enim in more est positum, ut si quisquam homicidij aut alterius criminis à se facti reus, supplicem Regi libellum offerat, quo & factum à se homicidium fateatur, & facti veniam deprecetur; etiamsi constitutum sit Principi pro suâ potestate veniam criminis concedere; jure tamen suo, id est supremo, non utatur, nisi prius libellus supplex, imò & reus ipse ad Senatum, tribunalque Prouinciale ablegetur cui de jure ordinario competit commissi criminis cognitio. Isthic porro excutienda est rei confessio, examinandumque an facti veritati respondeat; an non aliis præterea flagitiis sit implexus, is qui est factus supplex; denique an reus ipse, crimenque sit ejusmodi, cui à Principe gratuita sceleris gratia meritò impendi possit. Et hic quidem vsitatus est, etiam vbi à Rege facienda est gratia, tribunalium ordo. Magno etenim Reipublicæ bono, & ne dissimulatione aut impunitate nimia excrescat peccandi licentia, nolunt Reges gratiam à se factam, esse arbitrariam, sed legitimam & obseruatâ juris formâ; sic ut Principis benignitas aliquo Justitiæ rigore temperetur. Facit id enim uerò admodum ad conseruandam Principis maiestatem, quod & reo constet, quanta sit quæ ei impensa est gratia, ac proinde quid benefactori suo debeat; & quòd Reipublicæ etiam innotescat, non tumultuariè & pro libidine, sed benè perpensis rebus gratiam fieri; neque tam sceleribus impunitatem dari, in quæ tanto rigore inquitur, quam benignitatem clementiamque, post comperta scelera, ea condonando, populo legitimè declarari.

*Sic nec in foro fori gratia à Principe datur, nisi confessioni legitimè Senatu examinata.*

5. Sic ferè nobiscum agit offensus Deus. Tanta profectò est eius beneuolentia, & ignoscendi promptitudo, ut longè magis aueat peccatori gratiam flagitij commissi facere, quam flagitiosus impetrare. Sed quia Maiestatis eius interest, legitimè peragere omnia ob rationes quas exposui, non id ei satis est peccata pro Diuino tribunali proclamari quasi per tumultum: ordinatim peragi vult omnia. Utque hoc fiat, causæ cognitionem ad domesticum tribunal, utpote ad quod jurisdictio in reum competit,

*Peccata condonanda remittit Deus ad conscientiam prius examinata.*

amplâ cum potestate relegat. A Conscientiâ itaque velut à competente Judice crimen examinari vult; illudque sibi proponi, non prout fortè occurrerit, aut prout suspicio, aut iubitum timor tumultuariò suggesterit; sed prout factum fuisse, legitimè à Conscientiâ fuerit deprehensum. Et quidem id aperte tradit Concilium Tridentinum. Ait enim *oportere à penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem Conscientiam habent, in Confessione recenseri.* Tantam autem huic à Conscientiâ instituto examini auctoritatem & fidem tribuit Deus, vt licet post diligentem discussionem, aliqua supersint scelera quæ discutientis Conscientiæ aciem effugerint, tamen nihil ultra requirat, vt omnium omnino scelerum gratiam faciat amplissimam. Ita rursus grauissimè Tridentinum: eius hæc sunt verba: *Itaque dum omnia quæ memoriæ (à Conscientiâ nimirum discussæ) occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, proculbio omnia (etiam per ignorantiam omissa) Diuine Misericordiæ ignoscenda exponunt.*

Trid. sess.  
14. c. 5.

Trid. ibid

Hinc fideliter debet agere Conscientia.

Tanta igitur res, quanta proculdubio est peccatoris cum irato Deo reconciliatio, Conscientiæ commissa cum sit, eiusque quartum munus sit de re totâ judicare, nempe quid factum sit & quomodo, quoties peccatum, & quanta Deo irrogata sit injuria, venialisne an mortalis: hæc, inquam, omnia cum ab eâ expectentur, nullaque admittatur facti confessio, nisi prout eam faciendam esse decreuerit; liquidò jam constat, non perfunctoriâ manu hæc esse tractanda, sed seriò magnâque accuratione excutiendum scelus esse, vt & Dei, cujus vicarias agit partes, auctoritati faciat satis; & suam causam cum agat, sibi etiam faciat benè.

6.

In omnia peccata inquirendi jus Conscientia competere probatur exemplo.

Ita sit inquires, inquiret sanè in id quod commissum est scelus, & cujus gratia petitur. At cur præterea in alia omnia inquirat? cur antea vita discutienda est tantoperè; & quæ tempore aut incuriâ jam dudum sunt obducta, in medium cur producantur? Profectò dum homicidij perpetrati gratia petitur, etiam si à Principe facti inquisito ad Tribunal prouinciale demandetur, non illico Senatui jus competit, vt in domum supplicis irruat, omnesque perscruteretur ædium angulos scriniaque discutiatur, vt inquiratur an non etiam furti teneatur reus, qui homicidij gratiam postulat. Sic est. Verùm si aliunde Judicibus satis constat,

7.

stet.

stet, non vnus te tantum homicidij reum esse sed plurium; rursus te non homicidiorum tantummodo, sed variorum præterea criminum esse compertum; sanè eorum est id ad Principem deferre, eique denuntiare homicidij gratiam impendendam non esse ei, qui tot titulis justam Regis iram, scelerumque vindictam promeruerit. Atque vti ex hoc capite, modesta aliqua & sine juris strepitu, Prouinciali Senatui in rei vitam actionesque præteritas competit inquisitio; ita & Conscientiæ illa vt minimum tribuenda est, per quam ipsi constet, te gratiâ à Deo sceleri quod confiteris dandâ, non esse indignum.

8.

Hic tamen non hæreo. Altiori ex capite Conscientiæ jus competit inquirendi in omnia prorsus crimina etiam occultissima, si jus in vnicum tantummodo & cuius gratiam tibi à Deo fieri postulas, ipsi concesseris. Alia enim longè est Dei, alia Regum, gratiam præstandi ratio. Etenim Reges eam homicidio ex. gr. dum concedunt, indemnitate tantum homicidæ asserunt, meritæque subtrahunt nocentem pœnæ, & iræ Regiæ declarant hæc de causâ obnoxium non fore posthac. Non tamen gratiam sic præstant, quasi si supplicem in Regiam amicitiam, familiaritatem inquam amici, atque aulæ commercium contuberniumque adseuerint. Aliud enim prorsus est gratiam criminis, aliud amicitia intimæ gratiam concedere. Illam dant Reges sceleratis pro vitâ supplicantibus; de hæc, ne minima quidem aut in reo aut in Principe est cogitatio. Et hoc quidem aulæ humanæ ingenium est: aliud omnino Diuinæ. In hæc enim non tantum datur pœnæ meritæ remissio, sed vera fit *reconciliatio cum Deo*, vt loquitur Tridentinum, *atque homines iræ filij & Dei inimici*, in sinceram atque intimam Dei amicitiam, familiaritatem, cælestisque aulæ commercium admittuntur. Istud enim, apud Theologos planè constat, numquam peccatum aliquod à Deo remitti, nisi simul gratia sanctificans animæ infundatur: tota quidem, si peccatum mortale fuerit quod remittitur; sin autem veniale, gratiæ sanctificantis tribuitur augmentum. Illud autem satis constat, sanctificantem seu habitualem gratiam animæ inhærentem, esse formam quæ Deo gratum facit, amicum constituat, dignumque reddat hominem, qui imposterum à Numine vnice diligatur, & in numerum filiorum Dei adoptetur. Hæc sanè est *Gratia*, inquit Paulus, *in quâ stamus, & gloriamur*

*Probatue  
deinde ex  
amicitia  
cum Deo  
ineunda,  
quam non  
præstant  
Principes,  
cum gra-  
tiam scelo-  
ribus fa-  
ciunt.*

Trid. sess.  
14. c. 3.

ad Rom.  
5. v. 1.

*in spe gloriæ filiorum Dei.*

*Alia est  
gratia seu  
condonatio  
sceleris, alia  
vero gratia  
amicitiæ  
seu sanctifi-  
cans.*

*Vtraque  
simul da-  
tur, nec  
prima sine  
secunda.*

*Hinc pro-  
batur ius  
Conscientiæ  
inquirendi  
in omnia  
peccata.*

Istud igitur maneat, gratiam remissionis numquam peccatis fieri, quin gratia sanctificans, ab eâ prorsus alia, Animæ infundatur. Illa, est mera sceleris condonatio; hæc, præclarissimum Animæ ornamentum: illa, pænæ nocentem subtrahit; hæc Diuini in se amoris, cælestisque regni jus tribuit: illa, vt data est, transit; hæc animam afficit, ei inhæret, totamque mirâ specie facit Angelis aspectabilem. Itaque cum, vt rectè Tridentinum, *Vniuersa mortalia peccata etiam cogitationes, homines ire filios & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum a-*

9.

Trid. sup.  
c. 5.

*perta & verecundâ Confessione à Deo querere, ne videlicet Gratia sanctificanti infundendæ obstaculum opponatur. Indignum enim esset omnino, in aulæ consortium à Principe assumi eum, quem satis constaret inimicitias animo adhuc voluere, & mortali aduersùm se odio implicari.*

Atque hæc est demùm ratio, cur Conscientiæ non tantùm in id, cuius gratia petitur, sed & in omnia præteritæ vitæ scelera inquirendi jus competat. Cùm enim numquam peccatum vnum mortale condonetur, vt iam diximus, nisi condonentur etiam omnia: rursus cùm numquam sceleribus detur gratia, nisi legitima sit scelerum confessio: denique cùm hæc legitima non censeatur, nisi ad Conscientiæ tribunal diligens peracta sit facti disquisitio, eaque fateatur reus, quæ Conscientia fatenda esse iudicabit; iam sanè manifestum est, non vnicum illud quod præ manibus est, disquirendum esse crimen, sed omnia omnino si quæ fortè recondita sunt & occulta, ad domesticum tribunal reuocanda, ibique bonâ fide recensenda.

10.

Videris itaque totam gratiæ impetrandi vim, reconciliationisque cum Deo faciendæ sinceritatem ab hoc examine dependere. Illud ergo sincerum vt sit oportet; non enim quisquam sese fallit in hoc negotio, nisi malo suo. Videamus itaque quâ ratione instituenda sit hæc inquisitio, vt Conscientia suo munere defungatur prout oportet, & Deo fiat satis.

11.

§. II.



## S. II.

*Imprimis diligens debet esse peccatorum omnium discussio. Ad hoc multum confert examen Conscientiæ quotidianum. Exponitur ex Davide quomodo & quam accuratè id faciendum, & qui fructus ex eo existant.*

12.

**E**Xtra controuersiam est, eum cui aut in Reipublicæ, aut in priuati hominis scelera inquirendi commissa est prouincia, minime officij sui partes explere, si summatim id agat, prope- ratò & quasi per unctoriè. Non enim ea Principis mens est; & hoc non tam est scelera persequi, quàm nolle scire: adhibendam esse diligentiam & quidem sedulam nemo diffitebitur. At quanta requiratur, non facile est definire. Moralem adhibendam esse dicunt omnes, id est eam quam pro causâ grauitate, temporis locique opportunitate, & delinquentis viribus, quiuis vir prudens iudicio sano statuet adhiberi debuisse, atque adhibitam, suffecisse. Sic si graue homicidium in vrbe commissum sit, diligentem criminis disquisitionem non dicetur fecisse actor cui à Reipublicâ commissum id munus, si obuium quemque qui rumore rem perceperit, in plateâ interroget: partes tamen expleuerit, si quos oculos testes sciuerit, de crimine legitimè sciscitetur. Neque rursus muneri satisfecerit, si vt homicidam inuestiget, domum eius adeat, & per patentia cubicula oculum circumferat: satisfecerit verò, si ædium omnes angulos excusserit, si portas vrbs occluserit ne reus mature se subducat, si domos suspectas latebrarum adierit, eaque egerit quæ maturo iudicio facienda esse prudens vsus induxit, & Reipublicæ consuetudo confirmauit. His autem absolutis, etiamsi reus lateat, tamen diligens censebitur adhibita esse inquisitio: nam etiamsi reuerâ maior physicè adhiberi possit, non potest tamen maior moraliter, id est prudenter. Non enim vnus ob crimen, longo tempore, cum summo Reipublicæ incommodo, occludendæ sunt Urbis portæ; neque per vicinos pagos aut oppida circumducendi sunt satellites qui nocentem indagent, sumptibus im-

*Diligentiam in inquirendis sceleribus à iudice est impendenda.*

*Sufficit moralis.*

*Quantum sit diligentia moralis.*

mensis, labore improbo, spe exigua, neque quæ inquirentium impensis exæquetur.

Talis à  
Conscientia  
in peccatis  
inquiren-  
dis adhi-  
berenda.

Idem planè de nostro dicendum est examine. Diligentem omnino debere esse præteritæ vitæ disquisitionem, quæ Confessione Sacramentali præmittitur, omnes dicunt, nemo diffitetur, & verò ratio quam attulimus id euincit. Sed quanta sit ea quæ requiritur inquirendi diligentia, non ita pronum est dispungere. Moralem sufficere vt credant omnes, tamen hoc etiam multos angit, quòd non satis commodè dicant se posse statuere, ecquando moralis illa, seu quæ à prudente viro dicenda sit sufficere, diligentia examini impensa esse censeatur.

Vt de hac  
diligentia  
securi sint,  
quotidia-  
num exa-  
men fa-  
ciunt viri  
probi.

Huic incommodo obuiam vt irent viri sanctissimi, angoribusque vt se expedirent, non duxere expectandum donec ad Dei tribunal peccata confessuri, gratiamque Sacerdotis absolutione accepturi accederent. Sed vt de diligentia indagandis peccatis adhibitâ, quæ quidem Conscientiæ partes sunt, ipsis cõstaret, quotidianum actionum diurnarum examen Conscientiæ commiserè: satis magnum in inquirendo studium se posuisse iudicant, si quotidie in perperam facta inquirerent. Quod antequam exponamus, operæ pretium erit examinis huius & consuetudinem, & praxim, eiusque circumstantias ex optimo Dauide, & aliquando peccatore pessimo, intelligere.

Exemplo  
Dauidi.

Enimuerò criminum sibi conscius, *Laborabat in gemitu suo, lauabat per singulas noctes lectum suum, lacrymis stratum suum rigabat*, donec placato tandem tam seriâ pœnitentiâ Numine, gratiæ sibi scelerum factæ, per Nathanum Prophetam legitime intimatam sententiam acciperet, audiretque optatissima illa verba *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Verùm ne quæ fortassis, alia ab adulterio homicidioque crimina indulgentiam veniam interturbarent, summâ ipse accuratione in omnem antea vitæ, quin & elapsi diei actiones inquirebat, singulasque ad examen reuocabat studio peruigili, sensu animi, vt ipsemet fatetur, sanè acerbo. Iuuerit iudicii huius à Dauide instituti formam exponere.

Examini  
no furum  
tempus ac-  
commoda-  
cissimum.

Et quidem si tempus spectes, *Anticipauerunt, inquit, vigilias oculi mei*: id est, exactâ jam die dum nox incumbit, castrisque tuendis ex more militari vigiliæ solent disponi & circumduci; non sum passus ego majorem arci meæ aut castris obseruandis curam

curam impendi; quàm Animæ. Itaque vigiles diligentiam præ-  
 uerti; & quando illi jam serâ nocte stationes vigiliis aptas inci-  
 piunt occupare, jam tum oculi mei in statione stabant, ob-  
 seruaturi porrò non quid in palatio, sed quid in interiore mentis  
 aulâ rerum ageretur, intenti in omnem partem velut in ordine  
 dispositi satellites, ne quid hostile per diem irrepserit, & si irrep-  
 sit, ne per incuriam elabatur. Atque his ira rectè dispositis,  
 tum verò inquit remotis arbitris, cessante negotiorum strepitu,  
 tribunal domesticum ingredior, acturus deinceps causam meam,  
 qui toto die egerim alienas. Atque eccum tempus examini insti-  
 tuendo accommodatissimum. Sera nox inquam, dum silent  
 omnia. Numquam enim, quàm in silentio, loquitur Conscientia  
 clariùs, aut sincerius exauditur. Non est igitur quod tempus  
 examini præstitutum à Senecâ addiscamus, quod ex Dauide hau-  
 simus. Si quid tamen auctoritas Philosophi adiciere possit pon-  
 deris, non grauabor adferre id quod de se testatur. *Vxor inquit  
 hâc potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è  
 conspectu lumen est, & conticuit vxor moris jam mei conscia, to-  
 tum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mi-  
 hi ipsi abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erroribus  
 meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc  
 tibi ignosco?* ita ille.

Sen l. 3.  
de irâ.  
c. 26.

Neque verò dissimulandus est Lipsij commentarius. *Sine ad-  
 miratione inquit hoc numquam legi, homini tot negotiis, tot stu-  
 diis, & vxore etiam districto, hanc tam arctam & quotidianam  
 inquisitionem fuisse.* Ego autem vicissim miror, homines passim  
 sapientes, ita se negotiis etiam alienis totos tradere, vt ne bonæ  
 dici particulam quidem, eamque exiguam, summo, sibi que pro-  
 prio negotio possint seponere. Frustraneum est autem omnia  
 agere, præterquam sua; nec satis sanum est omnium meminisse,  
 obliuisci verò sui. Hoc autem non est negotiis sese concedere,  
 sed prorsus dare, imo & vendere.

Omnia sa-  
piens debe-  
ret aliquam  
dici parti-  
culam exa-  
mini dare.

Verùm quamquam in excutiendo animo admiranda prorsus  
 sit Senecæ diligentia & constantia; tamen non eum illi exami-  
 ni quod explicare proposuimus, intentum fuisse comperio. E-  
 mendandis ille vitiis animi, erroribusque per diem commissis  
 imposterum corrigendis incumberebat, non verò eluendis animæ  
 maculis per peccata contractis. Hoc est quòd molliori se tra-  
 ctat

18.

Aliud Se-  
necæ exa-  
men, aliud  
nostrum.

erat manu, dixisse contentus, *Vide ne istud amplius facias.* Et quamvis fructus hic sit examinis, vt mox dicam, non pœnitendus; tamen cum ad reconciliationem cum Deo faciendam maxime spectet, hæc quam tractamus Conscientiæ inquisitio, altius assurgendum est, & ad Dauidem ieducenda est oratio, vt pœnitentis hominis, ad tribunal Conscientiæ stantis specimen quod imitemur habeamus.

*Humilis sit corporis, & animi examinantis se compositio.*

Cum itaq; tempus examini deputatum aduenisset, *Prohibebam* 19. inquit *aspectum oculorum meorum.* Ita legit Hieronymus, vbi vulgata habet *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Compositionem animi & corporis describit Dauid. Non enim quasi si Regem sese meminisset, alto incedit supercilio; sed rei adinstar, cui apud Iudicem dies dictus est, *prohibebat aspectum oculorum.* Oculos nimirum claudit, vt ne animus euagetur, seduloque attendat actõri quid respondeat. Rursus quia de rationibus dandis conueniri se percipit, *aspectum oculorum prohibet*, deiecit nimirum oculos suspecta sibi scelerum mens, fastum contrahit, ceruicem dimittit, veroque pœnitentis habitu misericordiam inueniendis criminibus deprecatur. Et hæc quidem corporis constitutio. Interim si animi compositionem inquiris, *Turbatus sum* inquit *& non sum locutus.* Perculsa nimirum iudicij expectatione hærebatur mens; neque quidquam pro se locuta, totam actionem, defensionisque & accusationis rationem, non insanis animi perturbati affectionibus, sed soli Conscientiæ suæ committebat. Interim turbatus, id est, anxius rei totius exitum expectabat. En veram, id est humilem submissamque seriõ & sincerè examinandæ mentis speciem. Ita prorsus examini sistendus est animus; humilis omnino & suspectus sibi.

*Colligenda mens est per serias æternasque variationes.*

Stante sic pro Conscientiæ subfelliis animo, oculis fastuque penitus dejecto, ad instar rei, crimen ipso habitu propè confitentis: tum verò incipit actio. Conuocantur vndique tacitorum testes, & in iudicium producantur, reo opponendi. Qui testes inquires? nulli admodum, nisi cogitationes tuæ, ex memoriæ ædibus excitæ. En accusationis formam. Cum sic, *turbatus starem*, inquit Dauid, nec quidquam pro me loquerer, *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ne quæ fortè præteritæ diei transactorumque negotiorum, aut voluptatum perceptarum phantasmata mentem interturbarent, seriamque rerum mearum disquisitionem

nem ad se traherent, & sententiæ ferendæ feueritatem, interuerterent: ad fugandum, inquam, insana hæc phantasmata, mentisque atrium perpurgandum, *annos æternos in mente habui*; iisque præteritos vitæ dies componens, æternos scilicet & numquam transituros annos cum diebus antiquis & vetustate suâ jam collapsis comparans; tum demùm, *antiquos dies*, id est, præteritas delicias cœpi detestari, cùm earum vanitatem æternis deliciis compositam cœpi agnoscere. Rursus, *cogitavi dies antiquos*, quos perdididi; imò per quos me perdididi: *Et annos æternos*, quos per antiquos dies, & noua scelera amisi, malo meo edoctus *in mente habui*. Hæ aut similes sunt cogitationes seriæ, quibus per diem collecta negotiorum phantasmata sunt fuganda, ne examinanti se obstrepant. Beneficiorum interim Diuinorum memoriâ colligendus est animus, vt sese ad errores in eius obsequio commissos inquirendos, detestandos, & emendandos, promptius liberaliusque extendat.

In ipso examine omnia, etiam occulta educenda sunt criminosa.

Tum demùm omnibus sic ritè dispositis, instituenda est actio. 21.

Non enim sufficit antiquos dies, imò nec recenter præteritum, generatim tantùm & superficietenus percurrere; immorandum est rebus singulis. Itaque, inquit Dauid, *Meditatus sum nocte cum corde meo, Et exercitabar, Et scopebam spiritum meum*. Exercebat enim uerò se accuratus sui censor, quasi qui reum interrogationibus variè versat, vt facti veritatem eliciat; & idcirco *scopebam*, inquit, *spiritum meum*. Atque hoc primum in examine instituto obseruandum est, vt sit imprimis veritatis curiosum, & accuratum. Non enim, vbi penitens mundandæ sunt ædes, sufficit fordes quæ pavimento insident omnium oculis conspicuæ, leui manu euerrere: perscrutandi sunt anguli; sedilibus etiam scriniisque; imò & lectis subjectæ educendæ sunt scopis fordes; isthic enim agglomerantur sæpiùs, quàm in patente cubiculi areâ. Non est quod me clariùs explicem. Occultæ sunt lectorum, scriniorumque fuligines; in occulto sunt quæ isthic perpetrantur scelerum machinationes, & tamen notæ nimium quàm vt eas hîc exponere necesse sit. Educenda sunt tamen omnia; suisque è latebris extracta, sistenda sunt Iudici, vt omnium accuratissima ratio habeatur. Hoc est quod, *exercitabatur* Dauid, dum durus exactor incumbit operi; & non demulcebat blanditiis, sed *scopebat spiritum suum*.

Ibid. v. 7.

Proponendus est itaque sibi ipse animus, totaque præteriti

22.

T t

diei

*Notae dili-  
genter quâ  
iuerit, &  
quomodo in  
errores cõ-  
missos inci-  
derit.*

diei aut temporis ratio oculis opponenda : agendumque id quod de mysticis animalibus testatur Propheta Ezechiel, *Vnumquod-  
que coram facie suâ ambulabat.* Quòd teste D. Gregorio non tantum significat, ambulasse non cæco modo, seu quâ ducebant oculi ; quasi si duces oculos tantummodò sequerentur ; sed & *coram facie suâ ambulabant*, quasi suismet oculis objecti & oppositi ; sic vt nusquam mouerent pedem, quin eos ambulantes, sequerentur censores oculi, qui duces antè in agendo fuerant. Egregium enimverò Conscientiæ prototypum. Ducit animam Conscientia ; & tamen quam ducit, quasi si sequeretur, obseruat. Dux iraque est actionum omnium, & tamen censor. Non ergo eundem est tantummodò quâ ducit viâ, & quâ videt Conscientia esse eundem ; sed & videndum est sedulò, quâ eatur. Audi Gregorium. *Omnis justus qui vitam suam sollicitus aspicit, & considerat quantum in bonis quotidie excrescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat ; iste quia se ante se ponit, coram se ambulat : quippe qui vigilanter videt vtrum surgat & defluat. Quisquis vero vite suæ custodiam negligit, discutere quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat aut despicit aut nescit ; coram se iste non ambulat ; quia qualis sit in suis actibus aut moribus, ignorat.* Ita Gregorius.

Ezech. 1.  
v. 12.

D. Greg.  
hom. 4. in  
Ezech.

*Primus  
fructus hu-  
ius exami-  
nis est pru-  
dens futuri  
cautio.*

Ex quibus liquet, illud te imprimis ex quotidiano hoc examine relaturum commodi, vt naturali Prudentiæ magnum exercitatione hâc adjecturus sis quotidie incrementum ; maioremque deinceps circumspectionem actionibus tuis, imò & vestigiis sis allaturus, vbi te videris pedem fefellisse, & discriminis oppidò incuriosum, temerè imò & miserè fuisse prolapsum. Fructum hunc primum examinis egregiè exaggerat D. Augustinus. *Siquidem, inquit, necessaria nobis est circumspectio Examinis ; quatenus per experientiam eorum quæ fecimus, ad ea quæ agenda sunt, cautiore reddamur.* Certè si quid de me addere liceat, experienciâ mihi compertissimum est, ex nullis librorum aut sapientissimorum vitorum effatis scriptisque sententijs, te quæ ad Prudentiæ virtutem in te augendam pertinent, faciliùs luculentiusque petiturum, quàm ex te : si nempe cogitationes tuas sedulò attendis ; si quæ subito inuadant animum, quæ verò morâ temporis & paulatim obrepant, consideras : rursus si quomodò incipiant, quomodò immorentur aut menti aut phantasiâ ; denique si quomodò tandem

23.

D. Aug. 11.  
de Spir. &  
ani. 10. 3.

*Prudentia  
optimè a-  
discitur ex  
seipso.*

tandem desinant aut evanescant, non incuriosè circumspicis. Hunc itaque librum, te inquam, inspice, huic incumbere, & tandem sapias. Sed ea est nostra infelicitas, quòd velimus sapere, non ex nostro, sed ex alieno. Hinc euagamur per omnia, labore immenso, fructu exiguo: & cum omnibus loquimur libentiùs, quàm nobiscum. Atque idem in plurimis scientiis video contingere, alienis ingeniis immergimur, iis inhæremus, eorumque inuentis delectamur; nostram interim mentem contrahimus, nec in cogitationes proprias explicamus. Verùm hoc hunc non ago, contentus indicasse quæ via ad Prudentiam consequendam sit expeditissima, & ad mores distortos imposterum corrigendos facillima; accurata nimirum actionum suarum discussio.

24. Rationem mihi dat Seneca, sanè luculentam. *Faciebat hoc Sextus, inquit, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti, quâ parte melior es?* Tum verò ad rem meam subjicit; *Desinet ira, & erit moderatior* (idemque de alijs animi vitiosis affectionibus intellige) *que sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum.* Optimè protectò; nihil enim agitur circumspiciùs, quàm cuius breui strictissima danda est ratio. Hic fructus primus examinis quotidiani. Quem quia Seneca percepit & degustavit, exclamat præ gaudio, & non abs re: *Quid ergo pulchrius hæc consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillius, altus ac liber; cum aut laudatus est animus, aut admonitus; & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis?* Ita exclamat fructum expertus, qui tamen nihil habet naturâ maius. Quid ergo dicturum putatis, si altiorem illum percepisset, ad quem Christiani conhitimur, reconciliationem, inquam, offensi Numinis, cuius hoc examen fundamentum esse ostendimus? Hoc igitur breuiter persequamur.

Circumspice sit, cuius breui danda est ratio.

25. Atque adèd dico, examinis nostri, non tam Philosophici quàm Christiani fructum secundum esse, quemque summoperè æstimandum iudico, pacis & gratiæ à Deo sceleribus consequendæ non tantùm initium exinde oriri, sed & authenticam assertionem, (prout antè tetigi) quâ quis securus esse possit, dum pro Confessionis tribunalis ad pedes Sacerdotis futurus est supplex, munere suo in examinandis sceleribus ritè legitimeque defunctum se; quando-

Secundus fructus examinis quotidiani est securitas de diligentia inquirenda legitime adhibita.



quandoquidem singulorum dierum acta, quotidiè ad Conscientiæ examen noctè ingruente reuocarit. Ecquæ enim major diligentia adhiberi potest à mercatore rerum suarum satagente, quàm si accepti expensique rationes singulas quotidiè referat in commentarios? Nulla sanè major ab hominum vllò prudenter exigitur. Quid si ergo quis quotidianâ curâ, peccata singula quæ vesperi occurrent, scripto mandarit; an non etiam ille de diligentia examinandis sceleribus allatâ, tutus omninò esse poterit, sibi quæ omnimodis persuadere, ita se perfunctum examinantis munere, ut à Deo nihil præterea possit exigì? Ita videtur inquis. Atqui, uti Theologorum nemo negarit, omnesque asseuerant, Deus nullâ vmquam ratione exigit, ut quis quotidiè peccata sua scripto committat, eorum ut reminiscatur fidelius, tum cum Confessione Sacramentali subjienda fuerint. Nusquam, inquam, tanta accuratio præscribitur, imperatur, imò ne suadetur quidem, ob varia quæ exinde obuentura sint incommoda. Itaque cum examini quotidiano sola desit peccatorum exscriptio, quæ huic iudicio adhibenda non est; restat ut muneri boni accuratique Censoris satisfecisse dicatur, si quæ quotidiè commisit scelera, quotidiè ad examen reuocet, eaque suo tempore apud Sacerdotem proferenda, memoriæ bonâ fide concrediderit. Quòd si autem, uti fit sæpissimè, tractu temporis aliqua è memoriâ effugerint; illud tamen habebit solatii, securum esse posse se, bonâ à se actum fide, moralemque, id est, quæ prudenter exigì poterat, conquiritendis peccatis diligentiam fuisse admotam; neque à Deo quidquam præterea requirendum: quod certè maximum est Exomologesis faciendæ leuamentum.

Itaque ubique oculos habeat Conscientia, ut vident omnia.

Istud itaque Conscientiæ, quotiescumque examini sese applicat, primo loco obseruandum est sedulò, ut sibi minimè parcat, neque quidquam dissimulet: sed ex aduerso, summè inuigilet latebris, sinusque animi omnes excutiat, scrutetur & peruestiget, ut cum Dauidè dicere possit *scopebam spiritum meum*. Et ut id non perfunctoriè consequatur, mysticas Ezechielis rotas imitetur, quarum erat *totum corpus oculis plenum in circuitu*, ut ea nimirum quæ oculis passim non patent, oculos tamen non effugiant. Nam ut disertè D. Gregorius dum hunc locum commentatur, *ea que sunt in facie, sepè etiam peccatores custodire solent*. Manifesta nimirum scandala, & publica scelera, etiam nefarij quandoque eui-

26.

Ezech. 1.  
v. 18.  
D. Greg.  
hom. 7. in  
Ezech.



tant timore infamiæ perterriti ; at verò addit Gregorius: *Iusti viri quia se & in eis custodiunt que in promptu & in facie non videntur, in dorsis oculos habere referuntur. Qui ergo & ea que in oculis sunt discutiunt, atque ab iis se custodiunt que latent, profectò oculos in dorsis habent.* Oculos itaque & in pedibus, & in manibus, & in oculis ipsis habeat animæ suæ studiosus obseruator, vt nihil prorsus, ne oculorum quidem coniectus nefarius sit ; qui Conscientiæ oculos censuramque euadat. Oculos fanè qui perscrutentur omnia, vbique disponet is, cui salus animæ est in oculis.

## §. III.

*Secunda conditio Examinis est, vt inquisitio sit sincera, neque minuat peccatorum malitiam, ea perperam excusando.*

27. **C**ompertis jam diligenti inquisitione animi vitij aut morbis, præsertim verò ijs quæ non sine lethali noxâ sunt sceleribus ; istud vnice obseruandum est deinde, ne grauitatem commissi criminis penes se diminuat, neque sibi ablandiatur, aut nescio quos dissimulando sceleri quærat prætextus. Caussidici hæ sunt partes reo patrociniū quærere, idque aut negando factum donec probetur legitime ; aut si tenetur, enormitatem sceleris minuendo. Patronum verò agere Conscientiæ non est, cui iudicis commissum est munus. Itaque prout est, ita exhibenda est res. Ita autem est, prout reipsâ Conscientiæ proponitur. Nihil igitur quidquam mutet, nihil alteret, si officio ex fide, & ex bono suo vult defungi. Etenim nulla erit, nullius, inquam, valoris deinceps gratia, quæ sceleri e mentito, fucis tecto & quasi calamistrato dabitur. Vt quid autem examen instituitur, cuius deinde nullus erit vsus, & cui nulla à Deo legitime præstanda est gratia ? Rem itaque si sapit, proponat prout est res, neque sceleri quidquam per adulationem detrahat.

*Examen sit sincerum*

*ne inualida sit à sacerdote facta gratia.*

28. Ita se examen instituere fatetur Dauid. Quòd vt exponam, animaduertendum est, verbum *scopebam*, idem quod *speculabam*, Hebræis significare ; ideoque cum dicit, *scopebam spiritum meum*, etiam rectè intelligi, ac si diceret, *speculabam spiritum meum*, etiam rectè intelligi, ac si diceret, *speculabam spiritum meum*, etiam rectè intelligi, ac si diceret, *speculabam spiritum meum*.

*Conscientia sit ad instar speculi re-presentans rem prout est.*

aptâ imprimis in rem meam metaphorâ : speculi enim adinstar debet esse Conscientia, inquit Bernardus, vt partes suas expleat. Jam verò vti eleganter D. Augustinus : *Tamquam speculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam personam; sed eorum que sibi obijciuntur, non solùm que pulchra & integra, sed etiam que vitiosa deformiaque indicat*, ita prorsus dum te tibi inspiciendum & quasi speculandum obijcis, speculum agat Conscientia, neque quidquam adulando distorqueat. Atque vti speculi fidelis nitor, halitu imprimis inficitur; infectum verò objectas species sincere non reddit; ita prorsus cauendum est, ne nimia oris sit cum speculo vicinitas & quasi commercium. Ab ore enim emittitur halitus, & ab halitu in speculo fit fuligo. Clariùs loquendum est.

D. Aug. l.  
1. cont.  
Faustum  
c. 65.

Cum Con-  
scientia ne  
loquere vt  
factum ex-  
cuses.

Conscientiæ, inquam, tuæ tamquam speculo oppositus, ne multum loquere vt causam tuam agas; inspice te, & mutus tace: sic nempè coram se stabat Daud; *Turbatus sum*, ait, & *non sum locutus*. Non, inquam, excusationes crimini afferas; nec tibi ipsi dicas, affectione dementatum nescisse te quid ageres; adolescentiæ fuisse errorem; tentationis abreptum imperu, alienâ egisse abductum peruersitate, non tuâ; non diu durasse scelus; semel tantum fuisse peccatum. Hæc, inquam, & similia malitiæ obuementa ne profer. Tace igitur & obmutesce: nam si hæc ita sint, illicò id tibi fidelis Conscientia repræsentabit. At si multis rationum verborumque ambagibus, id tu Conscientiæ tuæ persuadere eamque in transuersum agere niteris, halitu speculum inficis; obductusque fumo fidelis Conscientiæ nitor, non nisi per caliginem repræsentabit sceleris deformitatem. Quam cum non clarè percipis, non eâ tangêris commissi criminis pœnitudine, quàm rei enormitas exigit, & facienda cum Deo reconciliatio requirit.

29.

Ibid. v. 5.

Speculum  
convexum  
diminuit  
obiectas spe-  
cies.

Deinde vt fidele sincerumque sit speculi indicium, illud imprimis curandum est, vt ea consulantur specula, quorum plana est superficies, non verò ea quæ extuberant, & in sphæram intumescunt. Istud enim convexis speculis proprium est, vt oppositarum rerum species & simulacra, plurimum imminuant ea dum reflectunt; & quidem tantò majori decremento, quantò magis convexa est, magisue ad sphæra minoris extuberantiâ accedit conuexa speculi superficies. Hoc est quod ab initio depressos humi-

30.

humilesque animos ad examen scelerum admouendos dixi, vt <sup>Ita & tu-</sup> sincera sit disquisitio. Tumet naturâ suâ humanus animus; hinc <sup>midus ani-</sup> nihil, ne sibi ipsi quidem, repræsentat sincerè & prout est, quod <sup>mus dimi-</sup> magnitudini, quam sibi ipsi fingit, possit officere. Omnia ex- <sup>nuit sua</sup> tenuat quæ sunt dedecori; & quanto magis sibi intumuit, tan- <sup>scelera.</sup> tùm exiliora sibi præstituit ea, quæ inflatos spiritus nata sunt perdomare & deprimere. Nihil sanè est certius, quàm quòd nullus sit adulator æquè mendax, quàm superbus animus sit ipsemet sibi. Fastus est qui scelera sua palpat; superbia est quæ eadem negare non potest, diminuit & extenuat, ne sibi displicere incipiat, qui malo suo sibi nimium placet. Itaque complanandus est animus; & vt complanetur, deprimendi sunt exorbitantes spiritus; sic vt æqualis sit, vt sic dicam, speculi plani adinstar, animæ superficies; neque mœrore & tædio scelerum nimium depressa, neque etiam per arrogantiam nimiamque sui ex-istimationem quidquam extuberans & inflata.

31. Planæ igitur sinceræque Conscientiæ, actionem examinis totam committe. Agat illa res suas; neque tu per varias excusationes agentem interturba: non in alienos humeros culpam conjice, non adolescentiam vitii obtende, non intentionem mentis excusa: obmutesce inquam: quidquid id fuerit, speculum repræsentabit: edicet enim Conscientia, quam non turbaueris, quidquid de re fuerit: atque id cum fecerit, magnam sui muneris, quod in perquirendis criminibus ei est impositum, partem expleuerit.

## S. IV.

*Tertia huius examinis conditio est vt comperto crimine, Conscientia Animam reprehendat & castiget. Quis exinde fructus, & quomodò faciendâ hæc reprehensio.*

32. **A**Tque vt institutæ disquisitionis fructus vberior percipiatur, <sup>Inuenio</sup> istud sanè consulendum est, vt comperto jam scelere, alius <sup>crimine,</sup> exurgat Conscientia, seuerioremque induta vultum, pro rei <sup>Conscientia</sup> grauitate non factum tantummodò, sed & enormitatem criminis <sup>serio se re-</sup> sibi ob oculos ponat, seriâque se reprehensione corripiat & ca- <sup>prehendat</sup> stiget, <sup>& castiget.</sup>

stiget. Consilium hoc perquam vtile suggerit D. Chrysofomus. *Eat mens, inquit, atque cogitatio tua Iudex in animam atque Conscientiam tuam, adducens omnia delicta tua in medium: scrutare que animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas. Ducas tibi assidue; quare hoc atque illud ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Accusa tua vestigia, non aliena: sic assidue ad hunc tortorem reuoca. Deinde si causam dicere non possit, sed balbutiat atque stupefcat, quasi superbam ancillam atque fornicatione corruptam, cæde verberibus, atque flagellis dilania. Ita Chrysofomus. Quod si autem lanienam corpori inferre, pro naturæ, desidîa dicam potius, quam infirmitate perhorrelcis, alia sunt quæ corpori inferri possint incommoda; genus flexiones puta, impressa terræ oscula, atque alia quæ facile suggeret peccati pudor, & seuera, si ritè adhibeatur, delicti reprehensio.*

D. Chryf.  
hom. 43.  
in Matt.

*Multiplex  
exinde fru-  
ctus.*

Et quidem castigationis huius priuatæ & veluti domesticæ fructus existet multiplex. *Primò*, enim hâc inductus, incussoque tam justo pudore, faciliùs ad sceleris pœnitudinem, factique detestationem profiliet animus: & verò etiam gratiam è cælo vberiorum impetrabit, quâ veram minimeque fucatam Contritionem queat elicere. Nimis enim notum est, quàm vt pluribus debeat asseri, Davidicum istud: *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Tum verò castigationis huius fructus *secundus*, erit, aliquâ saltem ex parte, pœnarum pro scelere meritarum relaxatio, vtpotè quas jam de te præsumpseris, & solueris veluti in antecessum. *Tertiò*, plurimùm id conducet vt impostero sapias, ab ijsque manum abstineas, quæ à teipso vides tam seuerè castiganda. *Quartò* denique, quotidiana illa reprehensio, multùm proderit vt delictorum memoria, cum Sacramentalis Confessio erit instituenda, expedita sit & prompta. Illud enim experientiâ certum est, nihil tenaciùs infringi memoriæ, quàm id ob quod acriter fuimus reprehensi; multoque adhuc tenaciùs, ob quod pœnas dedimus. Magna enim inter sensum corporis memoriâque est cognatio, magnum commercium: neque vîquam feritur corpus, quin & phantasia percellatur, eique malè sit: à phantasiâ autem ad memoriâ, vtî proximus, ita facilis specierum impressarum lapsus est & relapsus. Hinc fit, vt mali perpeffi optima sit recordatio: & dum mali tolerati redit phantasia, simul etiam mali causa, peccatum scilicet, allabatur, seseque conspiciendum offert.

33.

Pfal. 50.  
v. 19.

Vt

34.

Vt autem & scelerum inquisitio accuratius, & reprehensio instituat seuerius, non pigebit praxim dare, quam opportunè admodum suggerit Gregorius. Quæ quidem in eo est posita, vt totam hanc examinis actionem ita secum instituat, non quasi si de seipso, sed quasi de alio disceptaretur: atque ita se examinet, quasi si in actiones alienas inquireret, & non suas. Audi Gregorium. Cùm suo more eleganter exposuisset, vnumquemque sese oculis suis debere obijcere, vt accuratissimè se circumspiciat, addit in rem meam: *Ille autem veraciter se antè se ponit, sibiq; in presenti est, qui se in suis actibus tanquam alterum considerat.* Rationem subnectit dignam Gregorio, & quidem Magno. *Nam sunt multa peccata quæ committimus; sed idcirco nobis graua non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostrâ nos deceptione blandimur. Ex quo fit vt hoc quod agimus, & graue esse non estimamus, plerumque agatur à proximo, & nimis nobis detestabile esse videatur. Sed quare, hoc quod in nobis vile esse videbatur, graue videtur esse in proximo? nisi quia si nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia distictè videremus . . . . debemus ergo nosmetipsos sollicitè, sicut alios videre.*

*Conscientia secum agat quasi cum alio.*

D. Greg. hom. 4. in Ezech.

35.

Optimum sanè diligentiz, acrimonizque excitandæ D. Gregorii consilium. Cui si quidquam liceat adjicere, profectò nosmetipsos suaderem sollicitè non tantùm sicut alios aspicere, sed sicut hostes & aduersarios. Etenim quàm emissitios acresque oculos afferres, si tibi in aduersarij mores inquirendi à Principe demandata foret prouincia? Quid si debitoris tui rationes, & expensi acceptique commentarij in manus consignentur; quàm non legitè omnia discuteres? Quàm auidè, minima etiam æris tibi debiti indicia & documenta peruestigares? Quàm tibi suspecta forent omnia, quæ pro se afferret debitor? Denique si solutionis per fraudem denegatæ hominem conuiceris, quàm expedita tibi erit lingua, vt de dolo malo nocentem arguas? quàm prompta eloquentia, vt rei factitatem objectes, eique de fraudulentâ vitium facias & conuictum, pudoremque elicias, quo miser ille doli conuictus contabescat? Benè hæc quidem ages, & ex creditoris decepti ingenio luculenter. Verùm sic age & tute tecum; eâdemque eloquentiâ & te inuolue. Rationes tuas dum inspicias; debita, inquam Deo, tamquam eius vicarius dum inquiris, istud tibi propositum sit, cum debitore, imò cum aduersario tuo rem tibi esse,

*Imò quasi cum suo aduersario & debitore.*

*Tunc examen instituet fidele & sincerum.*

insupai

V v

à quo

à quo tibi, nisi compefcatur, magnum falutis difcrimen imminet. Idque dum tibi ferio præfixeris, minimè eft neceffarium, vt tibi formam inftituendi examinis deinceps præfcribam. Certè fanctum iftud odium tui, vitæ anteaclæ difplicentia & tædium, artem fuggeret quâ perueftiges omnia, cunctasque mentis latebras excutias, vt in promptu fit, quam aduerfario tuo objectare poffis, pudoris materia: eâque inuentâ, eloquentiffimam dabit facundiam, quâ facti fœditatem improperes, tuasque partes ferio agas, imò & Dei. Atque hîc demum eft modus, quo præteritæ vitæ examen à Confcientiâ fideliter inftituitur, & legitimè.

## S. V.

*Quarta conditio eft, vt Confcientia non multiplicet nec augeat peccata, neque examen fcrupulofè inftituat.*

*Vti in foro  
externo vi-  
sanda eft  
omnis ca-  
lumniâ.*

**N**E tamen nimio examinandi feruore, omniaque reprehèdendi studio abrepta Confcientia, impositum fibi munus excedat; aliquod afferendum eft dictis temperamentum. Sanè id in Senatorum fubfelliis fedulò obferuatur, vt cum criminis actionem inftituit accufator, imprimis ei à calumniâ reo impingendâ magna fit cautio. Nam vt ab accufationibus magnum Reipublicæ accedit emolumentum, vtpotè cuius interfit exefse & puniri scelera, ita nihil ei infelicius potefte accidere, quàm calumniâ in foro publico, & quidem tolerata. Ea autem inferri cenfenda eft, dum aut falsum crimen innocenti impingitur; aut ob fufpiciones planè ineptas & inimicitiam accufatoris redolentes, vir bonæ famæ in jus trahitur; aut cum leuia facta in immenfum augentur crimen, quod tamen nihil admodum habeat fceleratori, nifi quòd in potentem accufatorem, fui tamè linguæque impotentem inciderit. Procul à iudiciis ableganda funt eiusmodi hominum ingenia, vt pax fit Reipublicæ, imò & domesticæ; & ne per calumniandi licentiam crefcant scelera, dum finguntur. Impunè enim calumniari fi liceat, breui profectò in Republicâ nemo fit vir frugi.

36.

*in Ch. id.  
interno.*

Eadem omnino in domestico tribunali Confcientiæ adhibenda eft circumfpectio, ni totâ velis turbatum domo. Cauendum, inquam,

37.

inquam à calumniâ, cum in te inquiris : & vti per excusationes futiles nihil detrahendum esse crimini jam diximus, nihil quod illud minuat afferendum ; ita & cauendum maximè, ne quid addatur per auxesim ; aut ne nimio pœnitendi studio, vltra quàm res est, amplificetur facti peruerfitas. Speculum, vti diximus, fit Conscientia. Sit prorsus, sed planum : conuexis enim vti minimè hic opus est, ita nec concauis : neutra sincera sunt. Habent id conuexa & gibbosa, prout modò exposuimus, specula, vt objectas rerum species plurimùm imminuant & contrahant. Concaua verò, depressa, inquam, & excauata, præterquam quòd vt plurimùm inuertant intuentium vultus & simulacra; nonnumquam etiam multiplicent vnâ eandemque rem, prout variis locis speculo opponitur : istud etiam habent prorsus admirabile, vt si ad punctum, quod focum appellant, os admoueris, caput humanum gigantæo majus, non sine horrore, conspecturus sis, distortum vultum, expansum ad latera, supercilia setis crassiora, oculos Polyphemi, denique, vt vno verbo dicam omnia, monstrum in te videbis tetrum & terrificum. Tale est speculi concaui ingenium, ita ejus fert natura.

*Concaua specula inuertunt, & auerunt species :*

38. Sic, inquam, fit vbi plana, id est sincera, non est Conscientia. Homines elati & tumidi minuunt omnia, conuexis speculis vti constitutione animi, ita & repræsentatione non dissimiles. Contra verò reperire est homines, quorum mens depressa, & quasi in sinum cauernamue profundam excauata, Conscientiam concauam rectè dixerim. Nam numquam contingit ei quidquam admouere & obiicere, quin illicò alterentur omnes rerum species; sinistrum appareat quod dexterum est, imum quod in summo est, ingens & horrificum quod mediocre est imò & elegans : denique si virum probum Conscientiæ obiicis, illico in pessimum peccatorem ab ipsâ suâ Conscientiâ fædum in modum detorquetur. Præsertim si focum tangas; id est punctum aut materiam quâ maximè aduritur, & in quam tota animæ, agitationibus suis præpeditæ, fit reflexio. Quid hocce demùm rei est? Nihil quidquam est quod timeas : peccator est; monstrum est quod vides, sed plane phantasticum & apparens. Nec viri vitium id est, sed Conscientiæ non æquæ maleficium.

*ita & abstrusioris quorundam Conscientia.*

29. Sic videas non paucos abstrusioris mentis homines, & à planâ æquabilique viâ, in nescio quæ interiora recedentes, qui venia-

*Variè auerunt & fingunt peccata ubi non sunt.*

lia peccata illico in mortalia, eaque grauissima, effingunt. Si quæ in templo occurrerit fortè peccati committendi cogitatio, sacrilegium dicunt: minima in fide dubitatio, hæresis declaratur: exigua de Deo dissidentia, blasphemia iudicatur aut odium Dei. Tum verò exhorrescunt, quasi si monstrum horridum Conscientiæ speculo objectum foret. Distortum est interim quidquid vident; & si æquabilis esset, vt sic dicam, mentis res illas repræsentantis superficies, aut nulla appareret, aut sanè exigua, imò etiam sæpissime virtutis exercitiæ materia. Etenim quidam, quos si vel minima tetigerit, aut Fidei, aut pudicitia, aut charitati fraternæ aduersa cogitatio, confestim se lethali scelere contaminatos iudicant; cum tamen exigua tantum, primaque fuerit aut phantasiæ emotio, aut mentis inclinatio, quam motum primò primum vocant Theologi; imò, quandoquidem iis sæpe numero non consenserint, virtutis bene impensæ exercitium. Interim vbi virtus est, non nisi scelera vident illi. Denique vt breuibus abfoluam omnia, vbi vel minima occurrit mali species aut suspicio, aut vmbra sceleris, prout vmbriticum est horum hominum ingenium, è vestigio euertunt omnia etiam benè acta; & in manifesta scelera, scelerum vmbra, & vanæ species eriguntur. Atque exinde demum fit, vt cum suspicionibus passim agantur, peccatorum vestigiis insectandis delectentur, totos dies sinus animi excutiant, cogitationes etiam innocuas voluant & reuoluant, justò impensius; donec aliquid occurrat quod vanum est, imò quod nusquam est, & quo se tamen non ex vano exrucient.

ime & ac-  
tius virtu-  
tis in pec-  
cata de-  
torquent.

Nimia dis-  
quisitionis  
incommo-  
da.

Obscatur  
nimio in-  
quirendi  
illud mē.

At scin quod operæ tam malè impensæ plerumque sit pretium? Illud sanè communissimum, vt dum nimio plus volunt sapere, tandem desipiant: sexcentaque dent malefani cerebrum indicia, quibus prudenti viro sint deridiculi, dum sibi sunt graues. Rursus id consequuntur accurratione tam intempestiuâ, vt dum perlustrare & intimè perspicere satagunt omnia, hebetato mentis lumine, cæcutiant ad singula, neque vllum de rebus à se actis iudicium pro sano ferre possint. D. Gregorij est hæc gnomē. *Sepe, inquit, dum nos ipsos plus iusto discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus: & mentis nostræ acies, quo plus cernere nititur, obscatur. Quia & qui importunè Solis radiis afficit, tenebrescit; & inde nihil videre compellitur, unde videre*

D. Greg.  
9. Moral  
c. 13.



*dere amplius conatur.* Prorsus egregiè. Etenim si maculas Soli inhærentes, aut eclipsim defectumque sideris, oculis vis detege- re, atque eâ de causâ lucidissimo corpori insidieris, fixusque ei inhæreas; senties illico infinitas sphærulas globulosue, glaucos alios, alios rubicundos, aspectui circumrotari. Atqui caligantis oculi hæc sunt deludibria: neque sphærulæ illæ Soli insunt; aëris temerè congesti sunt corpuscula, aut oculi mala affectio: caligare incipiunt sensus visori; & breui, si pergis esse peruicax, planè cæcuties. In Sole vt sint maculæ, hæc certè non sunt quas arbitraris te conspicerè: & quæ Soli insunt, non hęc, sed planè alio inuestigandæ sunt modo. Ita prorsus sunt qui in mente etiam mundissimâ maculas videre volunt, quæ isthic reuera non sunt. Et cum iis inquirendis toto animi nisu pertinaciter incumbunt, importuno studio id assequuntur, vt turbetur mentis acies, maculasque imò & scelera arbitrentur se conspicerè, quæ tamen nusquam sunt, nisi per intuentis oculi defatigationem & errorem.

*Macula & defectus So- lis inquir- enda non sunt ne cæcutias.*

41. Erras vir bone, erras toto cœlo, qui Solis maculas obtutu tam fixo inuestigas: fingis tibi quæ non sunt. Veram autem eclipsim laborantisque Solis defectum, si tibi libitum est conspicerè, speculum planum adhibe, aut aquæ intra suos limites æquabiliter interjacentis, speculi adinstar, superficiem: isthic sine labore vllò, laborem Solis aspicias, & ad quot digitos defecerit, dabitur placidè intueri. Istud volo & dico: vbi Conscientia æquabilis est, neque affectionibus perturbata; ea, inquam, cui fixum omnino est & præstitutum nullo vñquam lethali scelere Deum offendere (& tales plerumque mentes sunt, quæ in perscrutandis peccatis præ nimio studio exorbitant) non magnâ curâ opus esse, vt veræ maculæ, vera inquam scelera detegantur. Pustula exigua, tumor exilis, sordes quantumuis minimæ, si vultui specioso & cætera mundo inhæserint, speculo oppositæ illico discernuntur; quæ fortassis lateant, si aspicientis facies vñdique intumuerit, verrucis sit obsita, & pure tota diffluat.

*Per speculum planum indaganda hæc sunt.*

*In anima munda nota sunt inquirenda sordes, ipsa se detegunt.*

42. Itaque dum Conscientiæ tanquam speculo te admoues, studium te circumspiciendi adhibe, sed moderatum. Et si quidem is es quem te esse volo & scio, illico emergent quæ veræ sunt maculæ, easque liquidò discernes. At verò si tecum ipse disputationem incipis instituere, suspicionesque adhibere; si plura ad-

*No tecum disputa.*

huc esse, quam quæ occurrunt, mordicus vis tenere; fortè consensu n datum fortè non datum si tecum ipse exagitas, orietur illico menti tempestas oppidò maxima, quam non facilè deinceps sit componere. Atque ego Propheticum istud tibi nequidquam anxio, ex mente D. Gregorij sic interpretantis & legentis hunc locum, insusurrabo, *dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiae suae.* Id est quantum ego intelligo, abyssus seu interior mens & iudicium *dedit vocem suam*, hoc est sententiam tulit, non ex ratione, sed *ex altitudine*, id est, arrogantia turbata phantasiae. Commodè id etiam hoc modo interpretabere. Scimus sanè inter abstrusa montium, rupiumque caernas, voces clamantium ita intercipi, & alterari, ut ad saxa variè allisæ, non sine summo murmure reflectantur, & redeant, quasi totis clamatum sit montibus. Imò cum vox emissa sit vnica, tamen in plures, nonnumquam in sedecim, ut in aulâ Bruxellensi constat fieri, reflexa diuidatur: vnde clamoribus videntur omnia perstreperè, cum tamen clamantis vnica sit tantum vox. Ast vnica ut sit, multiplicem facit echo. Sic sanè vsuvenit abstrusis illis mentibus, quæ sibi caernas faciunt & lacunas, & non nisi obscuris & confragosis delectantur. Nusquam certè magis dominatur clamosa echo. *Abyssus animæ dat vocem suam.* Tu vocem Conscientiæ existimas, interim non est vox abyssi, sed *ab altitudine phantasiae tuæ* exoritur. Clamat phantasia scelus esse: & quia confragosam, multisque flexibus sinuosam habes Conscientiam, abyssus est, laberinthus est. Hinc abyssus dat vocem suam *ab altitudine phantasiae tuæ.* Si altum exclamet phantasia, altum exclamat Conscientiæ abyssus; & quod peius est, vocem phantasiae multiplicat, decemque inclamat scelera, vbi vnicum tantum est scelus. Sic sceleribus omnia perstreperunt, nihilque toto mentis atrio auditur nisi scelus & scelera. Hinc luctus, hinc dolor, hinc mentis perturbatio. Et cum ad liquidum examinantur omnia, nihil nisi vana echo est, solidum nihil, & vbi clamantem Conscientiam audire te putabas, *dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiae tuæ.*

Habac. 9.  
v. 17.

Conscientia  
q. a. v. de-  
tur vox,  
sape echo  
est clamantis  
phantasia.

## S. VI.

*Exponuntur regula aliquot generales, secundum quas examen  
Conscientiæ instituendum, & in examine de peccatis  
commisissis est iudicandum. Ac primò quidem,  
quid à magnis diuturnisque peccatoribus sit  
obseruandum.*

43. Tandem videtur nunc res & oratio postulare, vt quæ demùm diligentia examini adhibenda, & quo pacto de peccatis commissis iudicandum sit à Conscientiâ, antequam Sacerdoti per Confessionem Sacramentalem exponantur, explicemus. Et quoniam de peccatis manifestè à Conscientiâ deprehensis nullum est dubium, nullus mihi de iis erit deinceps sermo, vt qui quæ huc spectant, jam exegerim. Rursus neque cum de diligentia examinis Confessioni præmittendi agimus, de iis loquimur qui multo jam vitæ tempore in omnia sese promiscuè dederunt scelera, Dei hominumque contemptu pari; neque vñquam interea, aut rarò, aut certè admodum perfunctoriè pœnitentiam egère vitæ tam nefariè peractæ, aut potiùs perditæ. Istud enim satis constat, vti exacta omnino debet esse peccatorum expositio, ita & eorundem inquisitionem plus temporis & studij requirere. Quantum autem id sit, pro hominis conditione statuendum est, rerumque actarum multitudine & pondere. Alia enim faciendâ est accuratiorque disquisitio ab eo, qui in rebus publicis, iisque aut Iustitiæ aut rei pecuniariæ, dudum, & malâ fide versatus est, alia ab eo qui domesticis tantùm intentus, otiosam penitus duxit vitam. Aliter etiam agendum est ab eo, qui vni tantum vitio inhæsit, cætera vir probus; aliter enim verò ab eo, cui nihil nefas fecit peccandi libido & intemperantia. Pro variâ itaque hominum conditione determinanda hæc sunt. Neque si dies aliquot feriò & vigili curâ pristinæ vitæ meditandæ impenderit is, qui in sceleribus torus fuit, à tam vtili disquisitione amouendus est, donec moralem (id est eam quam prudens beneque consiliatus in tanti momenti negotio, curam adferret) sibi

*Qui duo  
peccatis &  
diuersis in-  
haerent,  
exactam  
faciam cri-  
minum  
disquisiti-  
nem.*

*ea in va-  
riis debet  
esse varia.*

quanta &  
qualis mo-  
ralis et ju-  
dicio aut  
Confessarij  
discernen-  
dum.

sibi aut sapienti Confessario adhibuisse visus fuerit : sic vt nihil sponte sua intactum reliquerit, atque omnia quantum sibi videtur, bonâ fide, in memoriam reuocarit.

Verùm sunt plurimi, qui peccatores non sunt quasi sedentarij, sed quorum vita, etsi vt plurimum innoxia, maculis tamen imò & sceleribus nonnumquam inspergitur, & magno interim Sacramentorum vsu ea nituntur sæpius eluere. Iis sedandis major est difficultas : nam vt puritatis sunt studiosi, ita sunt plerumque in examinando nimij, & in perperam dijudicandis actionibus faciles, imò & projecti. His ergo vt temperamentum afferamus, regulas quasdam generales porrigimus. Quarum sit

## PRIMA REGVLA.

*Quantum spatium temporis ferè impendendum sit examinandis ante Confessionem peccatis, iis qui sæpè confitentur aut examen faciunt quotidianum. Item quod quantum scrupulosis.*

Aliud est  
preparatio  
ad Confes-  
sionem, aliud  
mera pec-  
catorum  
dysquisitio.

**N**E quis quæ dicenda sunt admiretur, antè omnia præparationem animi, quam Confessionem instituendæ piè vtiliterque præmittimus, à merâ inquisitione criminum diuidamus. Scimus enim pijs & sanctis cogitationibus, humilibusque fufis precibus, Deum admodum demereri, gratiasque ingentes elici, quibus emollitus peccatoris animus, ad scelerum agnitionem, promptamque detestationem faciliùs inlectatur. Quantum huic præparationi impendendum sit tempus, non definitio; neque adeò definitio debet, cum omne impendatur fructuosè. De hâc igitur præparatione posthac non ago. At verò istud assero; eos qui sæpè, id est, octauo ex. gr. quoque die, sacrâ Exomologesi mentem expiare sunt soliti, exorbitare omninò, si solis examinandis criminibus, iisque distinguendis, aut memoriæ quasi ex ordine mandandis, multum insument temporis. Multum autem voco, vt presè loquat, horæ dimidium, aut etiam quadrantem solidum.

Est

46. Est enim inutilis tanta mora, ubi quidquid grauius delictum est, illicò elucescit: & sicut in polito nitidoque speculo, magna oris spurcicies; ita in Conscientiâ munditiei curiosâ, crimen tæditate insolitâ quàm primùm proditur, & tenetur. Vt quid ergo tam sollicita indagatio rei, quæ momento capitur quo inquiritur? Et verò, non nisi vanis euagationibus mentis tempus traducitur. Etenim teipsum attende; fateberis, plerumque dum quadrantem integrum, immoto corpore, oculis quinimò clausis, Conscientiam peccatis examinandis vacasse autumas, tribus omninò temporis impensi partibus, euagatam mentem per omnia, aut ad affidentium mores vultusue attendisse, eos dijudicasse, indignatum te si confiterentur diutiùs; denique nihil minùs egisse quàm tua, nec segnus quidquam examinasse quàm te. Quid igitur fecisti? Dicam clarè; iacturam temporis. Hisce autem mentis distractionibus, exposita cum sit tanta mora examini faciendo minimè necessaria, abrumpendam iudico, mentemque aliis Religionis actibus impensius applicandam.

*Peccatorum  
diquis  
sape in  
duos lon-  
ga est.*

*euagatio-  
nibus men-  
tis exposita.*

47. Quòd si verò scrupulis sis obnoxius, sanè tantam moram sibi concedere, nihil est aliud quàm stultorum ergastulis januam patefacere, vt totâ dementes transcurrant domo, atque jam quasi datâ facultate liberè tumultuentur, & impunè insaniant. Non est quod rem explicem, jam antè me dixisse memini, scrupulos ab insaniâ nihil admodum differre, nisi penes insaniendi materiam. Vt quid ergo stultis phantasmatis campum tam amplum dare? vt quid ita laxare fræna, vt mediâ horâ aut quadrante integro, mentem obuoluant, suasque sic partes agant, vt de insanis haud paullo fiant & redeant insaniores? Contineantur certè scrupuli in phantasiæ ergastulo, quantum fieri potest, ne nimia licentiâ insolecant: & si talibus cogitationibus facilis datur exitus, exilient audacissimè, & ad nouum examen momentis singulis animam prouocabunt.

*Scrupulosi  
noxium est  
longū exa-  
men; susci-  
piatur enim  
scrupuli.*

48. Scrupulosi autem vt sciant quid in examinandâ Conscientiâ, ad quam semper appellant scrupuli, agendum sit; operæ pretium est afferre, quod à Cabrera ex ordine D. Dominici, Magistro & Oratore eccellente, suggeritur consilij; affirmat autem id se à viro sapientiæ sanctitatisque spectatissimæ accepisse. Imprimis scrupulosos homines, numquam vllius peccati siue veteris, siue recenter commissi, quantumcumque videatur enorme ac horridum,

*Scrupulosi  
extra tem-  
pus exa-  
mini depu-  
tati, num-  
quam cogi-  
tet aut exa-  
mines pec-  
cata.*

dum, examen instituendum, nisi solo eo tempore quod aut quotidiano examini, aut ante Confessionem faciendo, à regulâ aut consuetudine, aut Confessarii approbatione præscriptum est. Itaque si vel peractâ exomologesi, ante perceptam sacram Synaxim, vel inter orandum, vel etiam per diem occurrat cogitatio, examinandum esse crimen aliquod quod fortè obijcitur, repellendam esse cogitationem eiusmodi. Dicerem ego, in ergastulum suum compingendum esse insanum hunc qui fores nititur, nullâque ratione exaudiendum quidquid exclamet & fremat; audiendum porrò, dum tempus legitimum examinis illuxerit. Sapiens profectò est consilium. Totus enim in hoc est Dæmon, phantasmatum auctor aut fautor imprimis egregius, vt per scrupulorum importunitatem & insaniam, Religionis quibus interes actiones interpellat: neque enim Conscientiæ munditiem procurat hostis vaferrimus. Et hoc quidem exinde patet, quòd cùm ante obitam sacram Synaxim, plurima tibi peccata aut dubia, aut certa occurrerent, quæ necessariò videbantur proximâ Confessione explicanda, atque aded mentem præpediebant angustijs; stimulatque à sacrâ Synaxi pedes domum refers, illico in ventos abierunt scrupuli, peccatorum memoria prorsus evanuit, aut jam etiam tibi ipsi apparent ridicula ea, quæ paullo antè tantum sui terrorem incusserant. Itaque ad examen actionum præteritarum si quando prouocatur scrupulosus, caueat sibi vt ne compareat; sed prouocatus ad ordinarium tribunal appellet, id est ad diem horamque legitimo examini præstitutam, ibique dicat se examen debitum iudiciumque Conscientiæ non refugere.

*A Dæmone est aliàs ingesta examinis sollicitudo, præsertim ante Communionem.*

*Exiguam temporis detur examini peccatorum,*

Jam verò, si quantum temporis eiusmodi hominibus qui timidioris sunt animi, aut ijs qui sine vllis scrupulis sæpius per hebdomadam confitentur, examini faciendo præstituendum sit, quæras; respondet idem Cabrera ex viri quem laudat sanctissimi præscripto, istud sufficere quod Psalmo quinquagesimo, *Miserere mei Deus*, recitando plerumque impenditur. Quod quidem majori jure censendum est sufficere ijs, qui quotidiano examini operam gnauam dant. Atque exinde patet de ijs qui paullo majora Confessionibus, non tamen enormia interjiciunt interualla, pro temporis proportionem, dicendum quid sit. Medius quadrans his nonne sufficeret? videtur sanè. Certum est errari hâc in parte vt plurimum, & à plerisque. Cùm enim in hoc con-

49.

niti

niti deberent, vt magnis, solidis, frequentibusque Contritionis, multum  
verò acti-  
bua Contri-  
tionis, A-  
moris Diuini  
etc. Amoris Diuini, detestationis sui, deprecationis, submissionis, denique Spei & Fiduciæ actibus, tempus quod Confessioni præmittitur, sanctè religioseque impenderetur; nunc ita vsuuenit, vt nescio quibus præstigijs inducti homines, etiam sancti, totum ferè tempus voluendis & reuoluendis peccatis, sine vilo fructu aut merito, & interim vix temporis momentum vnicum, præstantissimis illis actibus tribuant. Sic dum ad Sacerdotis genua accedendum est, leuiter percusso pectore, totum sese putant verè pœnitentis explese officium: interim quod erat planè præcipuum, actum est perfunctorie. Stilum itaque mutet si quis sic legerit: spatium temporis, quod vanæ discussioni & euagationibus factæ datum est hactenus, ei detrahat; contritionique eliciendæ, peccatis detestandis, misericordiæ Diuinæ exorandæ tribuat imposterum; & sic ordinata erunt omnia; & proportione debitâ, commodè expensa.

## R E G V L A II.

*Quomodo scrupulosus de actionibus præteritis iudicare debeat.*

50. DE his quidem nihil singulare dicendum superest præter ea, quæ Scrupulosus  
non potest  
mortale iu-  
dicare nisi  
de quo cer-  
tus est: sic  
vt id inra-  
re audeat  
esse com-  
missum. Tractatu 8. diximus. Tamen vt ab his ad alios gradum faciam, & quia materiæ similitudo id requirit, dico, constantissimam & vnanimem Theologorum esse sententiam (& quia omnium est, neminem cito) scrupulosum hominem (talem autem reputare se debet, quisquis à Confessario talis iudicatur) non posse de actione suâ statuere quòd sit mortalis, nisi quam iudicat sine vilo examine, sine vllâ præuiâ consultatione, indubitanter & certò, mortali crimine innodatam, quòd sanè de adulterio à se commissio facile quis iudicauerit. Quod quidem alio modo explicant Theologi; dum omnes asserunt, tam manifestè eis de crimine debere constare, vt iurejurando, si necessitas id exigèret, scelus commissum pro iudicio & foro publico possint audeantque affirmare, saltem coram Deo eiusue Vicario Sacerdote. Hoc verò si non audeant, iudicium quòd de se ferunt, esse nullum: vnde manifestum est, quotiescumque ipsis dubitatio inciderit,

seu de actione quæ peccato est obnoxia à se commissâ, seu de peccato cognito & admissio cum de actione ipsâ constat, semper, inquam, quoties iudicium ratum non est & fixum, statuere posse, imò & debere, neuiquam à se peccatum: & si dubitatio occurrerit, blasphemis, impudicisque cogitationibus aut motibus, consensus datufnè sit an denegatus, denegatum esse decernat, decretumque mordicus teneat, neque vllis sese mentis agitationibus patiatur à sententiâ latâ dimoueri. Rationem illicò nouam dictis dabimus, quâ veteres confirmemus. Infra. n. 53.

## R E G V L A III.

*Quomodo etiam non scrupulosus, ex opinione probabili, de actionis præteritæ bonitate aut malitiâ debeat iudicare.*

*Pro se sententiam benignam ferat.*

*Non sunt confundenda, in hac materia, probabile & dubiû.*

PRodijt nuper Disquisitio Theologica, an peccata mortalia dubia sint in Confessione Sacramentali explicanda; auctor est Franciscus Faruacques. De quæstione propositâ agemus Tractatu 15. Sed quod nunc ad rem meam facit; est quòd non putet scrupulosè hîc distinguendum dubium à probabili; quomodo nonnulli, inquit, dubium non vocant, nisi cum intellectus heret, & omnis omninò assensus suspenditur: idque allatis aliquot juris textibus, planum facere frustra nititur. Ego verò non scrupulosè sed verè & Theologicè, non cum nonnullis quasi pauci sint, sed cum plerisque auctoribus; nec rursus cum nonnullis, quasi exiguæ auctoritatis sint, sed cum grauissimis Theologis, censeo maximum esse discrimen, dubium inter & probabile; neque hæc confundi ab alijs seu nonnullis, nisi vt tenebræ offundantur sententijs celeberrimis, easque trahant in inuidiam, dum quidquid dicendum est de dubio, id ipsi etiam probabili opinioni volunt impingere. Verùm id jam discussimus, cum de probabili actum est sententiâ. Differentia autem positâ, & ritè intellectâ quam inter opinionem probabilem Tract. 4. §. 2. & dubium Tract. 6. §. 1. posuimus.

Dico,



52. Dico, quod qui bonâ fide ex probabili ratione opinatur se actionem peccato obnoxiam non commisisse; aut si commiserit tamen non peccasse aut ex ignorantia, aut incogitantia, aut quocumque demùm modo; statuere certò posse se formaliter non peccasse, seseque ab omni culpâ posse absolvere. Addo ego, hoc si possit, omninò etiam debere. Et primò, quod possit discernere à crimine se esse innoxium, hoc quidem ex iis quæ de probabili opinione diximus, manifestum est. Adeo ut Cardinalis Lugo disertè asserat, *hunc non teneri ad confitendum illud quod probabiliter iudicat se vel non fecisse, vel non peccasse mortaliter in illo.* Et quidem asserit id communiter ab omnibus doceri. Rationemque hanc addit, quia jam sequitur iudicium probabile; quod sicut in aliis materiis, sic etiam in hac sufficit ad obseruandum præceptum. Quod si autem iudicium probabile, quo à Confessionis præcepto absoluitur, sequi possit, non est quod iudicio probabili, quo noxam non esse contractam statuit, non possit tutò acquiescere, & innocentem se reputare, donec omnimodis proberetur nocens. Quòd si autem pro innocentia sententiam ferre possit, sanè debet; cum nulla jura patiantur hominem criminis condemnari, nisi eum qui commissi manifestè est conuictus, ut mox pluribus exequemur. Hinc enim ad dubium crimen diiudicandum gradum facio.

Lugo de  
Pœnit.  
D. 19. sect.  
2. n. 58.

Qui probabili  
vult opinari  
se non peccasse,  
potest &  
debet iudicare  
se formaliter non  
peccasse.

## R E G V L A I V.

*Quid iudicandum dum dubitatur an actio commissa sit, certò scitur peccatum annexum. Iudicandum esse non commissam.*

53. **F**urtum exempli gratiâ, aut perjurium, nemo dubitat quin sit peccatum. At verò dubitat quis an id olim commiserit, neque quidquam in alterutram partem, ne probabili quidem ratione potest statuere. Quid hic ager sui non incuriosa Conscientia? In dubio, inquit, tutior pars est eligenda. Ita sanè sit. Sed quænam in hac dubitatione pars est dicenda tutior? Tutiusne est statuere peccatum esse, cum fortè peccatum non sit, quam

Proponitur  
questio,  
eiusque  
difficultas.

*In dubio  
aquale est  
utrimque  
periculum  
aberrandi  
ab eo quod  
verum est.*

quàm peccatum non agnoscere, cum fortè peccatum sit? Atqui utrobilibet errari potest perperam judicando, cum res dijudicanda, incerta prorsus sit & dubia. Quid ego hinc tutum est, ubi utrimque idem est à vero aberrandi periculum? Et an tum deum ero tutior & securior, cum furem aut perjurum me fuisse judicauero, quàm cum pro innocentia meâ tulerò sententiam? Quis hæc intelligat? Deinde istud quæro, an si de alieno furto aut perjurio, mihi tanquam judicis foret judicandum, neque tamen delicti probationes essent nisi dubiæ, certam mihi licitum foret ferre sententiam & decernere, factum videri? Minimè inquires. Quo ergo jure, dum dubium est, certi me criminis possum arguere? aut quo pacto æquus mei sum Judex qui sic alium judicando forem iniquissimus? Rursus ergo peto quæ pars in hoc dubio sit eligenda, ut eligatur tutior? Aliquid enim statuendum est, ad Conscientiæ tribunal legitimum delata cum sit res, atque actio instituta.

*Qui dubitat  
de facto, de-  
bet judicare  
non fecisse.*

Dico ergo dum factum est dubium, Conscientiam non tantum posse, sed & debere sese liquidò absoluerè, & furti v. g. aut perjurii de quo incidit dubitatio, innocentem sese declarare, & dicere, Non fecisse. Etenim sic statuo, quod multis jam sæpiùs exegimus, Conscientiam Judicem esse actionum suarum & quidem legitimè à Deo institutum. Videamus ergo quodnam Judicis in condemnando aut absoluendo reo sit officium.

*Jura enim  
benig-  
niores  
partem à  
iustice in-  
dubio am-  
ple ten-  
dam esse  
statuunt.*

Istud certè apud omnes in confesso est, Judicem, ut æquus sit, secundum jura, præsertim quæ natura ipsa aut communis gentium acceptatio instituit, sententiam ferre debere. Secundò neminem pronuntiare posse reum, nisi secundum allegata & probata. Jam verò, de hac quæstione quid statuunt jura? Ego certè *π. de Regulis juris. Reg. 3. Jurisconsultum dicentem audio, semper in obscuris, quod minimum est sequimur.* Minus autem, imò nullum malum est non peccasse, grauissimum autem est peccasse. Rursus Regulâ. 56. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Benignius autem esse absoluerè, quàm condemnare, nemo negauerit. Denique cum tutiorem partem in dubio semper eligendam esse velint quidam, per me licet; sed audi quid ibidem edicat Regula 192. *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.* Itaque secundum jura, qui benignius de factis à se dubiis statuit, tutiorem

partem

54.

55.

*π. de Reg.  
juris Reg.  
9.*

*ibid. Reg.  
56.*

*ibid. Reg.  
192.*

partem amplectitur: tutiorem enimvero, quia facit quod justius est. Nam ut alia ferunt jura, habendus est innocens quisquis nocens non probatur. Ita autem de alieno facto judicandum esse à Judice, cum ea quæ nemo in controuersiam vocat, statuunt jura; certè non est quòd ab iis discedendum putem in meâ causâ, cuius factus sum iudex. Neque est quòd in aliis absoluendis sim benignior quàm in meipso, dum utrobique æquè bonâ fide agitur. Non itaque mihi posthac in hâc quæstione quisquam obiiciat, *In dubio partem tutiorem eligendam esse.* Nam uti factus sum Tractatu 6. §. 2. dum res agenda est præ manibus, dubiumque est an peccato sit obnoxia, atque adeò in deceptationem venit, exhibendam sit ea actio, an omittenda; tutiorem esse partem quæ rem faciendam non esse statuit, eamque omnimodis eligendam: ita nunc dico, quando de actione præteritâ incidit dubitatio facta an sit an non facta; si facta scelus sit, tutius esse diiudicare *Factam non esse*: & quidem ideò *tutius* esse hoc iudicium, quia *justius*. Ita edicunt jura: *In re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius.* Justius id autem esse, præsertim in causâ criminis, visum est vltèriùs demonstrare.

*Dum actio agenda est & dubitatur de eius malitia, tutior pars est eam omittere, eaque sequenda. Dum dubium est an facta sit actio que esset peccaminosa, tutior pars est que factam non esse iudicari: & hac sequenda.*

*Item probationes contra rem debent esse euidenter non verò dubia.*

56.

Etenim alterum quod à legibus Judici præcipitur, eique ex imposito incumbit munere, est de reo statuere, non pro suo arbitrio, sed ex allegatis & probatis. A probationibus autem suspensiones longissimè repelluntur. L. Absentem. π. de Pœnis. *Sed nec suspicionibus debere aliquem damnari, Diuus Trajanus Asidio rescripsit. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Rursus ut alia lex habet *Factum in dubio non presumitur sed demonstrari debet.* Quòd si verò roges, quæ tandem sint allegata & probata, quæ iudex in reo condemnando sequi debet, & sine quibus non potest legitimè & justè decretoriam facti sententiam ferre, in promptu est responsio. Ea, ut loquuntur & sentiunt omnes, debent esse *ipsâ luce meridiana clariora.* Ita Bartolus ad l. Absentem π. de Pœnis. Lessius, Couarruias, Baldellus, Castropalao, Mascardus infra adducendus, & passim omnes Theologi & Jurisconsulti. Atque adeo seuerè id à Judice obseruandum asserit Lessius, *ut ne quidem ( eius sunt verba ) ex indiciis que Doctores vocant indubitatis quis condemnari possit. Ut si quis visus sit, inquit, facie pallidâ, cum gladio cruen-*

L. Absentem π. de Pœnis.

Bartolus in legem supradictam.

Less. de jure c. 29. dub. 17.

to domo egredi habente unum tantum aditum, & ibi reperiatur aliquis recens interfectus; condemnari is non potest, nisi aliæ probationes accesserint, quæ factum certum faciunt. Idem approbat Iulius Clarius in practicâ criminali & Baldellus in terminis.

Iul. Clar.  
in practi-  
ca cri.  
l. 5. q. 20.  
& 21.  
Bald de  
Confc.  
l. 4. disp.  
15. n. 10.

Si proba-  
tiones v-  
triusque  
æquales, ab-  
soluendus  
reus.

Hinc rectè inferunt Doctores, quòd si probationes ab utrâque parte æquales sint, sententiam debere ferri pro reo. c. ex tuis literis. De Probationibus. Quod si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes preferuntur: cum promptiora sint jura ad absoluendum, quàm ad condemnandum. Quod quidem in causâ criminis longè ampliorem locum obtinet, in qua accusatus innocentia suæ possessionem obtinet, donec sententiâ justâ depulsus ab eâ fuerit. Denique istud etiam addunt viri gravissimi, etiam si

57.

c. Ex tuis  
literis.  
De Proba-  
tionibus.

Imo etiam si  
accusatoris  
rationes  
sint proba-  
biliores.

accusatoris probationes, probabiliores longè sint, quàm quas pro se addert reus; in criminalibus tamen, pro rei standum esse innocentia. Quandoquidem allegata & probata, ipsâ meridianâ luce clariora esse debere statuunt jura, & totius orbis comprobatio. Ita præter Salas, Villalobos, Salon, Baldellum Theologos, multis allatis Jurisconsultorum testimoniis docet Mascardus de Probationibus. Atque hæc quidem de omni crimine intelligenda sunt, præterquam de paucis casibus in jure expressis. v. Baldellum §. n. 12.

Mascar.  
de probat  
conc. 497.  
n. 1.

Hinc pro-  
batur no-  
stra senten-  
tia.

Hinc demùm istud conficio argumentum. Nemo Iudex accusatum me facti, aut ex meris suspicionibus, aut ex ratione verisimili, aut ex indiciis indubitatis quamdiu tantùm sunt indicia, (id est ad ulteriorem indagacionem duces & viæ,) neque ex probationibus quæ tantùm sunt probabiles, quantumvis meis quibus factum negare contendo probabiliores; nemo inquam, quamdiu causa non est ipsâ meridianâ luce clarior, id est legitime comprobata, me criminis justè potest condemnare. Igitur stantibus pro foro Conscientiæ iisdem circumstantiis, nec ego id possum. Rursus; deficientibus quæ rem clarè & euidenter euincant probationibus, judici incumbit reum absoluere: ita statuunt jura, ita Gentium habet consensus; neque à Canonibus quidquam in his constitutionibus juris est immutatum: comprobata sunt quinimo & Pontificum auctoritate, imò & vsu praxique ordinariâ & Ecclesiasticâ confirmata; igitur & hoc iure standum est in foro Conscientiæ, & me ipsum debeo furti aut periu-  
rii

58.

rii dubii, hoc est criminis de quo non constat an commissum sit, non dubie, sed indubitatim absoluere, meque per Conscientiæ sententiam, innocentem facti declarare. Ita quidem sentio, donec mihi, iudicem internum externumque inter quid intersit in simili planè causâ, clarè dilucidèque exponatur. Certè, qui de factò dubio me absoluo, in dubio tutiorem partem sequor, sequor etenim vt jam ostensum est justiore.

## REGVLA V.

*Quid iudicandum, quando de factò aut de actione exhibitâ constat, dubitatur autem an in eâ peccatum sit.*

59. **R**estat id denique explicandum, quæ tandem ferenda sit sententia, dum de actione ipsâ planè quidem constat; at verò, cum eâdem peccari possit & non peccari, dubitatur an cum peccato commissa sit res. Exempli gratiâ. Magno quis iræ impetu subitò percussus, subitâ etiam aduersarij occidendi cogitatione abreptus est, imò & vindictæ iun edæ aliquod habuit desiderium. Rursus conspectâ, aut fortè, aut etiam prudenter alterius sexus specie, aut certè eius objecto phantasmate, in desiderium alienæ formæ quis exarsit. De re constat, neque dubitationi locus relinquitur, exarsisse. At verò quia absque vllò liberæ voluntis consensu, intra primò-primos motus stare potest tota hæc Voluntatis vacillatio, atque adeo sine peccato: & rursus quia à primis spontaneisque, aut necessariis huiusmodi motibus, ob naturæ infirmitatem, ad liberum voluntatis consensum facillimus est prolapsus; dubitatur deinde an motibus illis à Voluntate consentum sit an non consentum: ac proinde peccatumne sit an non peccatum: neque vlla datur quæ vtramlibet partem euincat ratio. Quid hîc aget Conscientia, Iudicis munere vt ritè defungatur? Perplexos habet hic dubitandi modus plurimorum animos, estque inter homines virtutis studiosos sanè frequentissimus; & cum ad deponendam dubitationem non valeant mentem expedire, molestiâ potrò conficiuntur grauissimâ. His ergo cum alia desint, vt certi quid in re dubiâ statuunt, vti Tract.

*Proponitur  
questio.*

6. §. 5. dixi, ad præsumptionis censeo confugiendum esse admi-  
nicula.

*Qui graui-  
ter peccare  
non solent,  
in dubio  
iudicent se  
non pec-  
casse.*

Quod rursus vt ritè fiat & legitimè, adnimanuendum est  
duo esse hominum genera. Vnum quidem eorum qui ita consti-  
tuti sunt animo, vt nullum deliberatâ voluntatè aut malitiâ, le-  
thale crimen facillè sint commissuri; illudque, imò prima eius  
vestigia, morte ipsâ peius exhorrent: vnde etiam fit, vt passim  
eiusmodi illecebris peccatorum uic incitamentis, validè soliti sint  
obsistere, iisque bellum indicere. Hos ergo si eiusmodi obrep-  
pat consensûs fortassè dati dubitatio, censeo sine vllâ animi hæ-  
sitatione posse statuere consensum fuisse denegatum, & ab om-  
ni crimine immunes se. Nam vt iura statuunt, *Præsumptio ha-  
betur ex consuetis, & in dubio, id censendus est egisse quis, quod  
solutus est agere.* Solutus autem cum fuerit eius generis sugge-  
stionibus se opponere, non est quod à consuetudine tam inuete-  
ratâ sese statuatur delcuisse. At quid si plerumque iis solitus ob-  
sistere; nonnumquam tamen etiam succubuisse constet? Aio  
nihilominus à crimine contracto se posse absolvere: nam vt Iu-  
risconsultus rectè statuit, *In obscuris inspici solet quod verisimilius  
est, aut quod plerumque fieri solet.* Præclarum, licet in aliâ ma-  
teriâ, quod tamen & huic mirè conuenit, nobis exemplum du-  
bia dijudicandi, suggerit Ulpianus. *Semper, inquit, in stipula-  
tionibus, & in ceteris contractibus id sequimur (nempe iudices)  
quod actum est. Aut si non pateat quod actum est (en nostram  
quæstionem) erit consequens vt id sequamur, quod in regione in quâ  
actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat,  
quia mos varius fuit? Ad id quod minimum, redigenda summa.*  
Non est quod hæc materiæ meæ studiosius applicem; manifesta  
est res.

60.

*Nam pro  
ipsis stat  
præsumptio  
ex consue-  
tudo.*

*π. de Reg.  
Iuris Reg.  
114.  
Ibid. Reg.  
34.*

*Et si du-  
bitent an  
veniale an  
verò mor-  
tale pecca-  
tum com-  
miserint,  
iudicent  
fuisse ve-  
niale.*

Istud tantum addo, hinc etiam patère ad liquidum, quod cum  
ab huiusmodi hominibus reuocatur in dubium, mortalenè com-  
miserint peccatum an veniale; id est, imperfectum nè dederint  
instigationi malæ consensum, an verò perfectum deliberatumque;  
veniale tantum fuisse commissum, debere decernere, neque  
majori noxæ aut pœnæ se esse obnoxium. Nam eo in euentu, *Ad  
id quod minimum, redigenda summa* debiti.

61.

*Et tales si  
vere pec-*

Atque horum omnium rationem vltiorem indaganti, hæc  
occurrit, cui prudens animus facillè acquiescet. Cum enim vir-  
tutis

tutis omnis sanctitatisque curiosæ sint admodum illæ mentes; magnoque peccati mortalis odio munitam habeant animam; sanè numquam tanto corripientur malo, quin & horrore tam inuisi spectri percitæ eiusdem etiam commissi phantasiam, & quidem altè memoriæ impressam, à perpetrato crimine sint ablaturæ. Quis enim monstro horrido vehementer percussus, eius memoriam facile amisit? quis non eius secum, & quidem longo tempore circumfert imaginem? Certè qui tam facile spectri obliuiscitur, vt etiam dubitet an adspexerit, non multùm illo percussum fuisse censendus est. At verò cum virtutis studiosus, summo pere peccati mortalis virus auerferetur, atque adeò excretur; profectò si de eo in animam admissò tantùm dubitet, nullo modo credibile est in animæ atrium, monstrum irrepfisse tam terribile, mentique virtutibus exercitæ tam formidabile: manifesta enim reliquisset in memoriâ impressa vestigia, quæ admissi in interiora monstri, dubitationem omnem tollerent. Hinc fit, vt qui sic animo constitutus de peccato commissò tantùm potest dubitare, hoc ipso dubitandi genere patefaciat, non peccasse. Sic ergo dubitando, dubium tollitur. Hoc autem sublato, non est quod Conscientiam remoretur, benignamque pro se ferendam sententiam posthac impediatur.

*castent  
mortaliter,  
id certò re-  
cordaren-  
tur.*

*Quod pro-  
bat eò  
naturâ  
horroris.*

63. Est & alterum præterea genus hominum, quibus nulla aut exigua Dei aut salutis est curatio; qui vltro sese grauissimis criminibus ingerunt, eorumque fomenta studiosè venantur, excitant sua sponte phantasmata quibus percant: denique vti Job eos describit: *Bibunt quasi aquam iniquitatem*; nulloque scelerum horrore tenentur; diligunt quinimò malefanas delicias, easque nullo Numinis metu, auidè, cum occurrerint, amplectuntur. Hi sanè, si quando dubitatio inciderit, an motibus primo-primis, suggestionibusque impudicis consensum præbuerint an denegarint, sine villo prorsus angore animi, aut à vero aberrandi metu, possunt decernere, haud dubiè peccasse se. Validissima enim, *habetur presumptio & consuetis*: & vt antè citatus Jurisconsultus egregiè: *Si non pateat quod actum est, consequens est vt id sequamur, quod in regione, in quâ actum est, frequentatur.* Et verò si nil nisi lolum tellus, tulerit hactenus, enascentem fortè herbam quis nisi insanè, iudicet balsami surculum esse, aut floris calamum,

*Magni pec-  
catores eò  
qui plerū-  
que tenta-  
tionibus  
succubunt,  
in dubio  
iudicent se  
peccasse.*

Job 15.  
v. 16.

msb10p

Y y 2

qui

qui non nisi cultissimis hortis innascitur? Quod paludibus increfcit, arundinem puta & vilem algam: neque quod isthic dubiæ fidei emittit folia, rosetum voca aut quercum: nam quamuis tibi dubitare sic collibitum, tamen *Præsumptio habetur ex consuetis.*

*Si peccator ille tentationi resistit, id sanè recordatur.*

Præsumptioni autem magnum robur exinde accedit, quòd cum impudicis suggestionibus fortiter resistere insolita res sit eiusmodi hominibus; sanè cum insoliti tenacissima sit memoria, actus tam heroicus clarissima impressisset memoriæ sui vestigia. Vnde cum dubia sit eorum mens, an resistendo, virtutem tam eximiam ipsisque insolitam exercuerint, euidentis id est indicium, actum fuisse more solito, eumque impudicæ impressioni penitus cessisse. Quòd verò ex aliâ etiam parte, memoriam consensûs dati, peccatique in animam admissi speciem non habeant, id sanè mirandum non est: nam vt vulgò dicitur, ab assuetis non fit passio, nullamque aut valde debilem sui speciem imprimit res quæ spectatur quotidie. Ea quam ante habuit, sufficit phantasiæ, neque nouam sibi affingit, vbi nihil admodum fit noui aut insoliti. Hinc fit, vt qui molossum, quantumuis ferocem & horridum, quotidie in conclaue admittere, eique solitus est ablandiri, non facilè recordetur an & quoties atrium subierit nudiusquartus: recordaturus profectò, si quem catenâ validè religatum in ergastulo detinebat, effracto carcere domum subire, atrium per vim perfringere, seseque rabido ore impetere persensisset. Ita fit inquam. Toto mentis atrio, rabidas carnis Dæmonisque suggestiones peruagari passim & impunè permittis tu; allicis quinimò & euocas, iisque blandè colludere tuæ quotidie sunt deliciæ: quid ergo miraris jam tibi euidenter non occurrere, an exactè tali horâ & die monstro tibi non insolito manus dederis, eique num colluseris? Ab assuetis, inquam, non fit passio. Jam verò cum exiguæ quædam sceleris admissi in tuâ memoriâ supersint reliquiæ, ob quas tibi mouetur dubitatio; hoc mihi rursus indubitatum est indicium, peccati monstrum in animam irrepfisse, cum in te, homine à sceleribus aliàs minimè abhorrente, tantilla licèt vestigia sui impresserit. Nam vt tuus fert genius, animæque sceleribus assuefactæ constitutio, nisi certò peccatum fuisset, ne minima quidem



quidem tibi mota foret peccati dubitatio. Itaque eo ipso quòd dubites, peccasse te non dubita.

65. Atque hæc sunt quæ de Conscientiæ examine, peccatisque dijudicandis occurrebant. Quomodò in Confessione exponenda, Tractatu 15. dicemus. Interim ex hæc quam fecimus, non probabilis tantùm à dubio, sed & ipsius dubij distinctione, credo patère jam, nonnisi temerè ea confundi; neque aptè sententiam vniuersim pronuntiarì eandem, de rebus naturâ dissimilibus. Distinctio sanè quæstionis in sua membra, vtì claritatis, ita sapientiæ mater est. At verò, vtì S. Maximus, quem mihi auctor ipse disquisitionis Theologicæ in manus porrigit: *Dicere quidpiam & non distinguere prius significata in eo quod dicitur, nihil est aliud quam omnia confundere; & ea studio relinquere operta, de quibus queritur; quod est alienum à viro differendi perito.* Ita D. Maximus, breuiter, & verè.



Yy3

TRACTA-